DE

PIMELOSI NIMIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIV. M. AUGUSTI A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ALBERTUS FERDINANDUS VENTZKI
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:
JUL. BECHERT, med. et chir. Dr., med. pract.
AUG. KLEIN, med. et chir. Dd.
CAROL. KUEPER, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PARENTIBUS DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PÍO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Pinguitiae secretio est normalis conditio, qua magna hydrocarbonisatae materiae quantitate sanguis liberatur. Quae quidem pinguitia ad futuram resorptionem asservatur. In hominis corpore tria omnino adipis genera se offerunt: adeps communis, medulla ossium et adipocera, quam ultimam praecipue reperimus in fellis calculis. In foetu humano ante quinti mensis initium adipis minor quantitas animadvertitur, quae mixta esse videtur cum muco oleoque, album colorem habet, nec ullum saporem, et maximam partem versatur sub cute, minimum autem in interno. A puerili aetate usque ad mediam aeque atque in senectute solet decrescere, in media vero copiosissima invenitur. Conjunctiones autem oc-

currunt variae, velut cum cerumine, glandularum meibomianarum liquore, cutaneo smegmate etc. Praeterquam in cutis tela cellulosa conspicimus eam circum cor, renes, in mesenterio, orbitis, ossibus atque in cornea substantia. Anomaliter pinguedinis conglobationes in variis corporis regionibus exstant: frequentissime in ovariis, ubi plerumque peculiaribus saccis serosis simul saepe cum pilis, adeo cum dentibus continentur. Meckelius in oesophagi inferiore parte lipoma, alterum in duodeno, tertiumque in colo nactus est. (Handbuch der path. Anatomie V. II. P. II. pag. 124.) Andral minora lipomata vidit in telis cellulosis, sitis illic sub mucosa intestinorurum membrana (l. c. p. 276.)

Quales tumores saepius in serosis quam mucosis tunicis formantur, quin imo Meckelius inter oculi choroideam et scleroticam adipem reperit, ac Rudolphi lipoma in cerebro humano (Phys. V. I. p. 137). Etiam in parenchymate organorum potest haec materia deponi: sic non raro in hepate, corde, musculis atque in renibus.

Jam mihi propositum est, primum de generalis pimeloseos signis physiologicis, tum anatomicis, deinde ejus aetiologia et prognosi, postremo de therapia disserere.

PHYSIOLOGICA SIGNA.

Etiamsi pimelosi jam longius progressa homo bona saepius valetudine frui possit, tamen serius, quum pinguedinis quantitas insuper augetur, multis incommodis afficitur. Omnia enim organa et functiones patiuntur, ut gravissimum sit primarium a secundario distinguere, aut dicere, quid hujus circuli vitiosi sit caussa, quid consecutio. Itaque ne falsas relationes et derivationes afferam, mihi licet functionales perturbationes solas apponere. — Plurimum adipis in cellulis panniculi adiposi et telis serosis accumulatur, ubi intervalla sic explet, ut serum in hydropibus, praecipue autem in illis locis, in quibus jam in naturali statu multum pingue se conformat. Sic frequentius regionem hypogastricam,

cutem inter ac lineam albam adipem quatuor cum dimidio pollices altum obtulisse ab multis observatum est. Omnino non potest negari, abnormem pinguetudinem primum semper in abdomine exsistere, a quo gradatim quoquoversus et organismum evertere. Jam enim sola pressura mechanica multae functiones, quae quidem in nullo connexu sunt cum pinguedinis formatione, valde perturbari possunt. Sic quod multa vasa nervique comprimuntur, facile in illis corporis regionibus, ubi deest pressura, sanguis congeritur. Quo fit, ut congestiones stagnationesque existant, quas nonnunquam haemorrhagiae consequuntur. Sic respiratio, cordis actio regularis adipe nimia in mediastino impeditur; vomitus pertinax, obstructio alvi aliaque digestionis symptomata periculosa gignuntur adipe in mesenterio congesta.

Ex altera parte cognoscere saepius possumus in hominibus opimis adpetitum cibi quasi famem ardentem esse et apparatus digestionis prima acta celerius confici. In illo casu ab

Graefe observato fames aegroti, qui lanius erat, eo magis excitabatur, quo plures cibi copias edebat, ut vigilans fere semper ab illa vexabatur: imprimis libenter capiebat carnem, cujus quatuordecim usque ad septemdecim libras in coena sine molestiis sumere solebat. Attamen apparet haec digestionis praecipitia acta jam in primis viis non sufficientem elaborationem nutrimentis ad assimilationem praebere, quippe quae maneant in humiliore animalisationis gradu, simul cum universali reproductione. Praeterea gravitate materiarum corporis agilitas musculorum summopere gravatur, quos sub molli saginataque superficie sentire non licet. Quibus de caussis aegri segnitie summoque desiderio somni capiuntur, cui post coenam vix valent resistere. Quodsi se movent suo se corpore praefocari sentiunt. Pulmonum actio, etsi non mechanice comprimuntur, tamen est imperfecta; anxietas pectoris, asthma aegrotantes cruciat praecipue in laboribus, aut scalas ascendentes. Quod asthma summum mali gradum adipiscitur, quando

thoracis cavitas abdominis magnitudine comminuitur. Conjuncta cum impedita respiratione est sanguinis debilior circulatio, pulsus parvus, tardus atque infirmus. Plerumque crescente adipe fellis quoque secretio augetur, aut si haec hepatis morbo retinetur, illius major copia interdum substituitur. Quod quidem fieri potest, quum inter hasce secretiones summus consensus constet. Neque enim est negandum in bile, in venae portarum sanguine et hepatis parenchymate esse adipem, atque ex altera parte cholestearinum inveniri in adipe; imprimis suppressa fellis secretione. Etiam respiratio praepedita permultum confert ad augendum hepar. Sic in animalibus somno hiberno captis, quae per hoc tempus minime respirant, item in avibus aquaticis mergisque, quorum respiratio per longa intervalla est intermissa, sic in hominibus pectoris morbo laborantibus, ut phthisi vel hydrope, hepatis amplificationem, physconiam animadvertere licet. Aptissimum vero exemplum ab anseribus saginatis petendum est. Hac cum hy-

pertrophia simul renales et fellis calculi saepe oriuntur, aut tuberculosae scirrhosaeque degenerationes in hepate, pancreate, ventriculi membrana mucosa, ac non raro organici cordis morbi. Sub finem hydrops praecipue ascites vel hydrothorax saepius consociatur, dum adeps non semper exstinguitur.

Ut musculorum irritabilitas et agilitas, quam supra memoravi, sic quoque sensibilitas nervorum, obtunditur. Et quamvis famem frigusque nonnunquam facilius tales homines patiantur, quam macilenti, tamen facultates gravioris momenti cadunt, etiamsi Pompejus magnus, cujus obesitas Romanis feminis saepe risus movebat, et alia exempla morbi gradu minore affecta contrarium videntur probare. Ut seminis comparatio et potestas gignendi, ita impetus sexualis diminuitur et maxime quidem in viris.

In feminis enim interdum magna salacitas exsistit sine fertilitate. Postremo aegrotantes in magnam apathiam mergi possunt, atque animi vires amittere. Praeterea non praetermittendum

est pinguedines, satis progressa pimelosi, etiam in secretionibus et excretionibus conspici solere. Sudores enim plerumque odorem rancidum dispergentes, neque raro lintea livida vel rubra tingentes, frequenter pinguia continent, praesertim in trunco, quum in facie manibusque aquosi esse possunt. Immo vero sola perspiratio aegrotorum non sudantium efficit fastidiosum odorem sebaceum. Urina, quae saepe cum doloribus in urethra ardentibus, praecipue post corporis motiones redditur, multis in casibus similis est solutioni saponatae vel emulsioni oleoginosae, in qua puncta pinguia possunt cognosci. Etiam in vomitu atque in faecibus ab nonnullis est adeps reperta.

Distinguendae a pinguitia generali sunt illae locales conglobationes, quae peculiaribus saccis conclusae et formatae lipomata nominantur. Qui tumores pro veris pseudoplasmatibus aestimandi sunt, atque item evertentem vim in organismum inferunt,ut alia pseudoplasmata, quae quidem omnia nutrimenta absorbentia, eoque maciem gi-

gnentia corpus tandem febre hectica exstinguunt. Graefe ad lanii abdomen, quem supra dixi, maculas minores observavit rubras, rotundas atque urgendo dolentes, nec dissimiles maculis in inveteratis et maceratis lipomatibus sitis.

Ex omnibus dictis est intelligendum, quanta in pericula pimelosis nimia homines ruat. Nec vero aegrotantes diu vivunt, sed in quoque fortuito morbo cum majore periculo laborantes ratione repentina moriuntur.

ANATOMICA SIGNA.

Physiologicis anatomica signa respondent ita, ut ex utrisque corporis organorumque status et conditiones recte cognosci possint. Nam localibus functionum perturbationibus impar adipis conglomeratio convenit, qua organorum capacitas minuitur comprimendo ac positio transmutatur.

Pulmones saepe parvi neque satis explicati itidem cor et thoracis cavum reperiuntur; hepar autem amplissimum. Partes genitales plerumque atro-

phicae, aut in singulis casibus secundum formam et magnitudinem hypertrophicae. Compressis nervis vasisque, quorum diametri multo minores sunt ad ingentem corporis massam, effectae hyperaemiae atque oedemata. Totum corpus laxum ac saginatione rotundatum, ut musculorum adumbrationes conspicere non liceat. Et quanquam dubitandum non est, quin sanguis materiam ad deponendam adipem contineat, ac resorptae adipi per se cursum praebeat, nondum tamen praesenti tempore sanguinis mutata crasis chemicis reagentibus et experimentis in lucem proferri potest.

AETIOLOGIA.

Nonnullis familiis est ingenita et quasi hereditaria dispositio ad pinguescendum, quae imprimis ab succulento phlegmaticoque temperamento proficisci videtur. Homines enim multi quamvis optimo opulentissimoque victu et conditione cum jucundissimis rebus externis conjuncta utan-

tur, tamen macilenti manent: contra alii ab infima gente, egestate variisque miseriis pressi, gerunt corpus adiposum. Quod attinet ad sexum habent majorem inclinationem pinguescendi feminae, quam viri; ad aetatem media; ad regiones, gentes frigidarum. Prima caussa gravissimi momenti est cibus opulentus fortiorque potus nominanda, in quibus quidem hydrocarbonica multa insunt: ut caro, oleosa, saccharina et spirituosa. Quamvis enim cibi potusque satis apteque coquantur, tamen organa, quae sanguinem parant, majori chyli impetui non possunt resistere. Igitur chyli non ad propriam animalem assimilationem elaborati summum residuum ubique in telis cellulosis deponitur. Praeterea docet experientia pura alimenta animalia, neque cum sufficientibus vegetabilibus mixta, sine intervallis per longum tempus esa omnibus excretionibus magis calicam conditionem dare atque in organismo oxydationis processum deprimere, hydrogenisationis autem facilius explicare. Quod idem, quum inter omnes corporis partes adeps hydrogenii et

carbogenii maximam quantitatem contineat, summam vim id obesitatem efficiendam affert. In illo lanio, de quo Graefe loquitur, praeter multum animalem victum nec minus negotium valuerit. Hominibus enim, qui loca frequentant, ubi multae integrae substantiae animales exhalant facile haec productivitatis dispositio praeberi videtur. Mascagni suam obesitatem commorationi longae in anatomico theatro attribuit (Cfr. Percy et Laurent im Dict. d. sc. med. T. 37. p. 2.)

Ex sententia medici Senof. Taroni, quam legimus in Schmidti annalibus (V. V. p. 181) nutrimenta per tres assimilationis gradus percurrere debent: et quidem in primo fiunt gelatina, secundo albumen et tertio fibrina, quibus elementis omnes organismi partes continentur ac nutriuntur. Si vero, organa digestionis debilia nutrimenta non ultra gelatinam vel albumen transformare valent, etiam illae imprimis partes crescunt, quae ex hisce substantiis constant. Quo fit, ut tela cellulosa, adipem secernens

maximamque partem gelatinam continens, in hoc assimilationis gradu praecipue augeatur.

Quo laxior tela cellulosa, eo facilius adipem deponi posse apparet. Aristoteles narrat boves esse saginatos, quibus cute sufflata multum pabulum sit datum. Anglici animalia quotidie calida aqua luentes saginant. Atque in orientis regionibus, ubi obesitas imprimis mulierum pro summa pulchritudine habetur, feminae inveniuntur, quae post emolliens balneum depsendo stringendoque telam cellulosam laxare sciant.

Quantopere otium jucundum, praesertim post praeteritam strenuam actuosamque vitam, multus somnus et animi tranquillitas corpus disponat ad pinguitiam non est ignotum. Itaque locupletes homines negotia simplicia agentes, ut pistores, hospites publici eorumque mulieres, saepissime hacce constitutione excellunt.

Heusinger memoriae tradit (Ueber anom. Pigmentbild. p. 189.) auctam adipis secretionem saepenumero ad comminutam pigmenti formationem esse referendam, quum semper cum aucto

pigmento comminutio adipis sit conjuncta, et praeterquam in membranaceis melanosibus pigmenti globuli ita se habeant secundum positionem et relationem ad telam formativam, ut adipis. Normalis enim pigmenti formatio, fusca cute illa et excretionibus noscenda, imprimis propria sexui virili et fortiori quidem aetati mediae, plerumque probat systema venosum arterioso praeponderari, in quorum systematum finibus non adeps, sed quasi usta residua sub pigmenti forma excernantur. Quod in feminis systema venosum dominatur simul cum telarum laxitate videntur majorem dispositionem habere pinguescendi Quae eadem obvia in hominibus, qui humida frigidaque loca incolunt, quo quidem fit, ut idonea sanguinis oxydatio impediatur. Sic Bichat et Puchelt referunt alaudas saepe una humida nebulosaque nocte repente saginari. Parem effectum in homine frequentiores venaesectiones gignunt, quibus corpori animales succi eripiantur. Itidem morbi pulmonum, hepatis, cutanei organi, suppressio perspirationis, utpote

quibus hydrocarbonisatae materiae major quantitas in sanguine retenta in tela cellulosa adeps excernatur. Prae omnibus causis est gravissima appellanda inertia sexualis. Animalia enim, in quibus semen non producitur, quasi extra vitale generationis flumen versantur, ac quum succi producti nullam vim in propagationem ferant et quaeque eo spectans potentia desit, in inferiorem assimilationis statum facile paulatim cadunt. Igitur in hominibus, qui regiones septentrionales colunt, ubi vires vitales contra tempestatis asperitatem pugnantes plus pro individuorum conservatione consumantur, quam pro generatione, oleosarum inflammabiliumque aliarum quantitates materiarum formantur ad calorem internum satis excitandum: elementorum autem inopia inest necessariorum ad semen gignendum, perfectissimum liquorem animalem. Zonae calidae contrarium probant, in quibus quidem praematuritas sexualis summaque fecunditas, raro autem obesitas se offert. Bestiae eo tempore, quo coitum adpetunt, plerumque macent adipe resorpta.

Itaque feminas post complures brevi tempore consecutas graviditates in institionis periodo, praesertim quum non lactent, vel in decrepita aetate pinguescentes videmus. Atque ob eandem causam castratio in puerili aetate effecta ad pimelosin adjuvat. Quae ab aliis etiam post amputationem observata, atque a P. Frank post praeteritum emphysema (l. c. p. 153). Neque omittendum esse vidétur ut memoratu dignum, saepe obesitatem curis mercurialibus, ut multi medici viderunt, provocatam esse. Quod quidem fieri potest, quum mercurius maximam vim in hepar exerceat, hepar autem cum adipis secretione consensu magno connectatur.

Ex omnibus meis dictis apparet, omnia adjuvare pimelosin nimiam, quae in organica plastica perfectiorem assimilationem impedientia corpus multis hydrocarbonicis substantiis gravent. Itaque pimeloseos nimiae natura una ex parte ducenda est ab hydrocarbonisatis elementis, quae in sanguine praeponderant atque huic venosam constitutionem attribuunt: altera ex parte in pi-

melosi nimia abnormis et simplex organicae plastices conditio cognosci potest.

PROGNOSIS.

Pimelosis nimia est potius constitutionis vitium, quam morbus nominanda. Sed ut jam supra diximus, locales organorum perturbationes consequentes saepius periculosissima symptomata ac letalem eventum admittunt. Nonnulli veteres medici arbitrabantur, adipem in vivo organismo non posse putrescere. Neque vero negligendum videtur cutis plicarum fricatione et sudorum acritate erythema malum frequentius gigni. Num periculosi momenti sit adipis praeceps resorptio in sanguinis flumen, adhuc explorandum est. Maciem autem repentinam pessimi ominis esse, quum totius reproductionis lapsum ostendat, et consumpta pinguedine serum ubique exhaletur, contendere licet. Nam hydropem pinguitiae proximum inferiorem esse gradum satis constat. — Opimi infantes in denti-

tionis periodo saepe vehementissimis congestionibus vexati vitam amittunt. Sicut omnes obesitate nimia affecti homines brevem vitam agentes, plerumque apoplecticis atque asthmaticis laboribus exstinguuntur. Itaque prognosis semper valde dubiam ponendam esse apparet.

THERAPIA.

Cura est gravissima, praesertim quum omnia nostra remedia ad pinguedinis formationes coercendas eo spectent, ut reproductionis vis debilitetur. Hinc enim fit, ut in organicae plastices inferiorem gradum et adipis formationi aptiorem animalisatio deprimatur, atque adeo exitus in hydropem provocetur. Itaque diaeteticus habitus valet plurimum. Jam Celsus memoriae recte tradidit (L. 1, cap. 3): extenuatur corpus aqua calida, si quis in eam descendit, magisque si salsa est, in jejunio balneum, inurens sol, et omnis calor, cura, vigilia, somnus nimium vel brevis vel longus: lectus, per aestatem, terra; hieme, durum cubile: cursus,

multa ambulatio omnisque vehemens exercitatio, vomitus, dejectio, acidae res et austerae, et semel die assumptae epulae et vini non perfrigidi potio jejuno in consetudinem adducta.

Sed corporis motiones et parcam diaetam in illis praecipue luxuriosam rationem vivendi agere consuetis gradatim usque eo agi oportet, quo necessarium esse Caelius dicit — convenit igitur corpus exercere gestatione plurima ac perseveranti l. c. p. 597. —

Nutrimenta illa sunt probanda, quae plus azoti quam hydrocarbogenii in se habent. Igitur plura vegetabilia, pinguia, saccharina, spirituosa vitanda; aromata, salia, acidi victus commendanda. Neque omittendum est remedium in populo usitatissimum, acetum.

Quod quidem maciem procreare constat, sed etiam ex altera parte summas noxias sufficienter sumptum ad organismum rejicere. Nec enim raro postea in mortem praecipitans pulmonum morbus est observatus aliaeque functionum insanabiles turbationes et degenerationes. Idem multo

magis de aceto scillitico dici potest. Petrus Frank narrat (l. c. p. 166—171) gravius exemplum, quod summopere admonet de aceti frequentiore usu. Qui medicus saponi hispanico plurimum tribuit, cujus initio drachmam unam gradatim usque ad unciam dimidiam quotidie vesperi sumi jussit. Asclepiades remedia emetica et purgantia funditus repudiavit. Tamen Celsi sententia valet: non ex toto res contemnenda est. Saepius drastica in refracta dosi, imprimis aloe, atque in intermissione diuretica instituta sunt. Ab aliis medicis cremor tartari, cali nitricum, acidum nitricum, guajacum, senega et semina fraxini laudantur. Multis in casibus perseverans et is providus usus infusi quassiae frigide parati magnam utilitatem effecit. Hedenus maj. n. pulverem constantem e cremore tartari, fl. sulph. et guajac. cum magnesia et saccharo, per longum tempus sumendum commendat. An cura per aquam, quae hodie in hominum ore et sermone versatur, adipis conglomerationes liquefaciat ct solvat prius, quam omnia alia medica-

menta, exspectandum. Canstatt vidit sane obesitatem hacce cura minutam, sed postea diabetem provocatum. Pro periculosissimo pimeloseos casu est fructuosa illa tractatio, quam de Graefe (Journal der Chirurgie und Augenheilkunde von Graefe und Walther V. IX. p. 23.) instituit: contra suffocativos labores venaesectiones et eae per hebdomadem primam quotidie bis vel ter in usum venerunt, quae quidem secunda hebdomade rariores et post quatuordecim dies deesse poterant. Simul aegroto talis dosis Calomelanos est data, ut viginti usque ad triginta evacuationes alvi per quatuor et viginti horas consequerentur. Quum autem calomel effectum recusare inciperet, Natron sulphuricum cum Aloe praescriptum est hacce forma:

Natrum sulph. ℥ij
Aloes soccotr. gr. xij
extr. hyoscyam. gr. ij
aq. foenicul. ℥xij

S. Täglich 2 bis 4 mal einen halben bis ganzen Tassenkopf.

Ad abdomen aqua Goulardi cum extracto belladonnae contra has maculas applicabatur, quas supra memoravi. Deinde pilulae e sapone jalapino et g. gutti sic constituebantur, ut quotidie alvus decem usque ad quindecim evacuationes haberet. Quum autem aegrotans purgantia tandem minus pati posset, tincturae jodinae viginti guttas per diem quater sumere jussus est, simul cum pura vegetabilium diaeta. Quamvis sub hacce medicatione ille lanius in integritatem transierit, tamen non possumus exspectare, quae hunc virum juvenem cum fortiore digestionis apparatu sanaverint, ea etiam idem malum in aliis sanatura esse. Nam pimelosis nimia, ut omnes alii in corporis constitutione inhaerentes vitiosi productionis nisus, fere nunquam sananda, sed plerumque dumtaxat coercenda vel finienda nobis videtur.

DE PINGUEDINE SCRIPTA SUNT:

Sebiz, de marasm. et gracilescent. sanor. et aegrotant., crassitie et obesit. natural. et morbosa. Argent. 658.

Wolf, de obesit. exsuperante. Jen. 683.

Schaper, D. de obes. nimia. Rost. 701.

Verdries, D. de pinguedinis usib. et nocumentis in c. h. Giess. 702.

Guelmalz, D. de pingued. usib. et comment. in c. h. Giess. 702.

Ehrlich, D. de obesor. ad morb. mortemque proclivitate. Hal. 730.

Walther, D. de obesis et voracib. Lips. 734.

J. C. Homeroch, de pingued. ejusque sede etc. Lips. 737.

Schulze, D. de pingued. Hal. 739.

Bass, D. de obesit. nimia. Erf. 740.

Guelmalz, D. de pingued. ejusque sede tam sec., quam praeter natur. constituta. Lips. 748.

Schulz, D. de obesit. L. B. 752.

Ludwig, Tr. de celer. obesit., causa debilitatis in morb. Lips. 759.

Malcolm Flemyng, üb. d. nat. Urs. d. Heil. der Fettsucht. Aus dem Engl. übers. von J. J. Plenk. Wien 769.

J. G. Leidenfrost, D. de morb. adipis h. Duisb. 772.

J. H. Bachiene, de adipe h. Ultraj. 774.

Riemer, D. de obesitatis causa praecip. Hal. 778.

Lorry, v. Fette im m. K. etc. (Mém. de la Soc. de Méd. 769 p. 97. Samml. auserl. Abh. f. pr. An. IX. B. 5232.)

Ebert, D. de obesit. nim. et morb. inde oriund. Goett. 780.

N. Jansen, pingued. anim. consid. phys. et path. L. B. 784.

Reussing, D. de pingued. sana et morb. Jen. 791.

Seifert, D. phys. pathol. de pingued. Gryphisw. 794.

G. F. Jaeger, Vergl. einig. durch Fettig. od. koloss. Bild. ausgezeich. Kinder. Stuttg. 821. 8.

G. M. Craken, D. de pingue et pinguetudine. Edinb. 805.

Meckel, path. Anat. Bd. II. Abth. 2. S. 119.

Grüne, D. de sana et morbosa pinguedinis in corp. secretione. Berol. 826.

Dandouville, Diss. sur l'obesité. Paris 811.

v. Graefe, in s. Journal Bd. IX. St. 3.

Wadd, d. Corpulenz als Krankh. u. s. w. A. d. Engl. Weimar 839.

VITA.

Anno MDCCCVII die decimo mensis Junii ego Albertus Ferdinandus Ventzki, fidei evangelicae addictus, natus sum Coerlini, oppidulo Pomeraniae, patre Georgio Ventzki, matre Albertina e gente Sellin, quibus adhuc vivis intimo ex animo gaudeo. Primis litterarum elementis instructus, quatuordecim natus annos, gymnasium Cussalinense, quod auspiciis Rectoris Mueller adhuc floret, frequentavi. Sub auctumnum anni hujus saeculi tricesimi septimi solemni maturitatis examine absoluto Berolinum profectus, ut medicinae operam darem, a viro Ill. Boeckh, tunc temporis universitatis Rectore magnifico, civium academicorum nu-

mero adscriptus sum, et nomen professus apud Ill. Wagner, tunc temporis Decanum facultatis medicae summe spectabilem, per annos quatuor his interfui lectionibus Ill. et Cel. virorum:

Ill. de Henning de logice; Ill. Lichtenstein de zoologia generali; Ill. Kunth de elementis botanices familiisque plantarum; Ill. Rose de mineralogia speciali; Cel. Dove de physice experimentali; Ill. Mitscherlich de chemia experimentali; Ill. Mueller de anatomia universa corporis humani sani et de anatomia organorum sensuum, et de anatomia pathologica, idem una cum Ill. Schlemm artem cadavera dissecandi me docuit; Ill. Schlemm de osteologia ac de sensuum organis; Ill. Schultz de physiologia hominis generali et speciali; Cel. C. G. Mitscherlich de materia medica; Cel. Ascherson de chirurgia generali et speciali; Ill. Hecker de pathologia generali; Ill. Casper de pathologia et therapia speciali, et de propaedeutice clinica; Cel. Wilde de arte ob-

stetricia. Exercitationibus clinicis interfui medicis Cel. Barez, Cel. Wolff, Cel. Truestedt, Ill. Schoenlein, chirurgicis Ill. Juengken, obstetriciis Ill. Busch.

Quibus omnibus viris summopere colendis gratias ago quam maximas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico atque examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi medicinae et chirurgiae honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Ligatura arteriarum in universum torsioni praestat.
2. Operatio scirrhi vel carcinomatis non est rejicienda.
3. Cephalaematoma oritur ex pressione colli uteri.
5. Morbus est non negativus vitae status sed positivus.